S. Cum non tantum nobis ipsis nati simus, Chariss. Vuolfgange, sed et amicis nolui amicissimo amico meo in honesta hac petitione deesse, tum ut quam meae facilitatis acceptam comprobarem, tum et te ad humanitatis erga veterem amicum officium provocarem. Sciat itaque Huldricum Zwinglium officiose abs te expetere carmen in Magisterii sui laudem abs te elaboratum. Novit enim te foelicem in hoc laudabili exercitio: deinde et, mallet abs te aliquid proficisci, quam ab aliquo suo conterraneo, a quibus ornari seu onerari potius, nisi hoc non expetit. Probabis itaque te hac in re memorem consuetudinis nostrae tuae cum illo patre, simul ac me promissionis meae fide liberabis. Facies certe illi gratissimum. Avus illius, magnus vir Zwinglius et splendidum illud Helvetiae organum, itemque parens, eadem laurea sunt ornati sunt: ex quo satis grata et ampla carminis materia tibi committitur. Quod si impetrare abs te possit ut aliquid componas, intra 3 septimanarum spatium ab hoc tempore aut citius ei mittes, et ipse suis sumptibus publicare statuit. Celebrabis itaque nomen tuum suum, sed et, si quid luce dignum composueris, tuum nomen laudabitur. In reliquis velim te veterem hominem deponere, et posthac familiarius literis mecum colloqui, quod ipse vicissim spondeo. Sulcerus ex ulcere quodam dextri humeri gravius hodie laborat. Bulemanus nunc cum D. Brandmüllero ex altera parte urbis habitat, parcius, ut colligo, suo cum commodo. Salutabis meo nomine tuam coniugem, cui tecum et tuis omnibus foelicissima ocia sub huius anni initium, medium et finem, precor a Domino patre per Christum: cui te vos commendo. Vale et te nostri memorem re ipsa ostendas. Basil. 7. Ian. 1551.

T. ἐν Ἰησοῦ ἐν Χριστῷ
Vuolf. Musculus.

Hs. - Inv. Nr. 329

Dno Vuolfgango
Ampelandro.

Bernam.